

III-2-51

SYNOPSIS THEOLOGICÆ DOGMATICÆ

TOMUS TERTIUS

DE DEO SANCTIFICANTE  
ET REMUNERATORE

SEU

DE GRATIA, DE SACRAMENTIS  
ET DE NOVISSIMIS

Auctore AD. TANQUEREY

EDITIO VICESIMA QUINTA

quam recognovit J. B. BORD, doctor in theologia,  
olim theologiæ dogmaticæ professor.

Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistæ

DESCLÉE ET SOCII

PARISIIS — TORNACI (BELG.) — ROMÆ

1942

JUS PROPRIETATIS AUCTOR SIBI VINDICAT



<b>CAPUT III. De sacramento Eucharistiæ</b>	602
ART. I. DE EXISTENTIA ET NATURA EJUS	602
Existentiæ sacramenti eucharistiæ	602
Ejus natura	604
ART. II. DE MATERIA ET FORMA	606
§ I. <i>De materia</i>	606
De pane	607
De vino eucharistico.	610
De conditionibus in utraque materia requisitis	614
§ II. <i>De forma sacramenti eucharistiæ, ubi et de epiclesi</i>	616
ART. III. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ	623
Effectus <i>generalis</i> est augmentum gratiæ	623
Gratiæ <i>sacramentalis</i> est gratia unitiva cum Christo, — cibans — fraternæ unionis, — jus tribuens ad vitam æternam	625
De tempore quo sacramentum operatur	633
ART. IV. DE MINISTRO EUCHARISTIÆ SACRAMENTI	634
§ I. <i>De ipso ministro</i>	634
De ministro ordinario	634
De ministro extraordinario	636
§ II. <i>De regulis a ministro servandis</i>	637
ART. V. DE SUBJECTO COMMUNIONIS	641
§ I. <i>De necessitate hujus sacramenti</i>	642
De necessitate mediæ	642
De necessitate præcepti	645
De communione sub utraque specie	646
§ II. <i>De extensione præcepti communionis</i>	648
De præcepto divino	648
De præcepto ecclesiastico, etiam quoad parvulos	650
De iis qui recipere prohibentur	655
§ III. <i>De dispositionibus ad communionem requisitis.</i>	656
Ex parte animæ	656
Ex parte corporis	659
§ IV. <i>De dispositionibus ad frequentem communionem</i>	664
Conclusio de spirituali communione	669
<b>De Extrema Unctione</b>	
Auctores consulendi	671
Documenta ecclesiastica	672
ART. I. NOTIO ET EXISTENTIA HUIUS SACRAMENTI	675
ART. II. DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI	684
De materia remota et proxima	684
De forma	688

ART. III. DE EFFECTIBUS	690
De gratia confortante	690
De sanitate corporis	692
De remissione peccati	692
ART. IV. DE SUBJECTO	694
Conditiones ad validitatem et liceitatem	694
Necessitas et iteratio	697
ART. V. DE MINISTRO	699
Quisnam sit?	699
Quænam ejus officia?	702

## De Ordine

Auctores consulendi	705
Documenta ecclesiastica	706
Prænotanda de notione ordinis	709

## CAPUT I. De ordine in genere.

ART. I. EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS	710
Ordo est vere sacramentum	711
Numerus et sacramentalitas ordinum	718
ART. II. ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI (MATERIA ET FORMA)	725
ART. III. EFFECTUS	729
<i>Character.</i>	730
<i>Gratia</i>	732
ART. IV. SUBJECTUM ORDINIS	735
Requisita ad validitatem	735
Requisita ad liceitatem	737
ART. V. MINISTER HUIUS SACRAMENTI	738
Minister ordinarius	738
Minister extraordinarius	740
<i>Appendix de ordinationibus anglicanis.</i>	741

## CAPUT II. De singulis ordinibus in specie

Tonsura præambulum ad ordines	744
Minores ordines	745
Subdiaconatus et diaconatus	747
Presbyteratus	748
Episcopatus	749

## De Deo Remuneratore seu Eschatologia

Profectus doctrinæ	751
Florentinum decretum	754
Divisio Tractatus	755

<b>CAPUT I. De Novissimis hominis</b> . . . . .	756
ART. I. DE INGRESSU IN ALTERAM VITAM . . . . .	756
§ I. <i>De morte ipsa et de anima separata</i> . . . . .	756
§ II. <i>De iudicio particulari</i> . . . . .	764
ART. II. DE CUJUSQUE SORTE IN ALTERA VITA . . . . .	770
§ I. <i>De cælesti beatitudine</i> . . . . .	770
1 <sup>o</sup> De beatitudine essentiali . . . . .	771
De visione beatifica . . . . .	771
De amore beatifico . . . . .	784
De gaudio cælesti . . . . .	785
De essentia formalis beatitudinis . . . . .	786
2 <sup>o</sup> De beatitudine accidentali . . . . .	787
3 <sup>o</sup> De proprietatibus beatitudinis . . . . .	791
§ II. <i>De Purgatorio</i> . . . . .	796
Ejus existentia . . . . .	797
Natura poenarum . . . . .	802
Status animarum in Purgatorio . . . . .	805
§ III. <i>De Inferno</i> . . . . .	806
Ejus existentia et æternitas . . . . .	807
Solvuntur difficultates . . . . .	817
Natura poenarum . . . . .	819
Pœna damni . . . . .	819
Pœna sensus . . . . .	821
Gradus poenarum . . . . .	825
<b>CAPUT II. De novissimis mundi</b> . . . . .	829
ART. I. DE FINE MUNDI . . . . .	829
ART. II. DE RESURRECTIONE CORPORUM . . . . .	831
§ I. <i>De ipsa resurrectione</i> . . . . .	831
Thesis catholica . . . . .	831
Controversia de identitate numerica corporum . . . . .	839
§ II. <i>De dotibus corporum resurgentium</i> . . . . .	842
ART. III. DE JUDICIO UNIVERSALI . . . . .	844
Ejus existentia . . . . .	845
Ejus circumstantiæ . . . . .	847
Conclusio practica Tractatus . . . . .	849
<b>Conclusio totius Theologiæ dogmaticæ seu de Com-</b>	
<b>munione Sanctorum</b> . . . . .	850
Ejus existentia . . . . .	851
Quanam sint hujus communionis participes? . . . . .	856
Quomodo manifestetur? . . . . .	856

## DE GRATIA

Historicus profectus theologicæ  
doctrinæ breviter delineatur.

In profectu doctrinæ de gratia ac consequenter ipsius Tractatus, septem veluti stadia distingui possunt.

1<sup>o</sup> **Patres** quatuor priorum sæculorum, nondum exorta hæresi pelagiana, de gratia non diserte disseruerunt, sed obiter tantum, pauca videlicet scribentes de necessitate divini auxilii ad bonum faciendum et salutem consequendam, de natura et incremento justificationis, de necessitate tum fidei tum bonorum operum ad justificationem, de effectibus et amissione gratiæ sanctificantis, necnon de bonorum operum indole ac merito; inter quos CLEMENS PAPA, *Ep. I ad Corinthios*; S. JUSTINUS, *Apolog. I*; *Dialog. cum Tryphone*; S. IRENÆUS, *Contra Hæreses*; ORIGENES, *De Principiis*; S. ATHANASIUS, *Orat. contra Arianos*; *Orat. contra Gentes*; S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Procatech. III*, n. 12; IV, n. 21; XX, n. 6; S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto*; S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat. VII*, n. 15; XVIII, n. 13; XXXVII, 13 sq.; XL, n. 45, etc.; S. HILARIUS, *In Psalmos*; VICTORINUS, *In ep. ad Philip.*; S. AMBROSIIUS, *In Psalmos*.

2<sup>o</sup> *Sæc. V*, orta cum Pelagianis controversia, jam integros tractatus de rebus gratiæ Patres scripserunt: S. HIERONYMUS, *Dialogus adversus Pelagianos*; sed præsertim S. AUGUSTINUS, qui totam hanc materiam de gratia actuali tam diserte expolivit ut *Doctor gratiæ* recte nuncupetur, *De peccatorum meritis et remissione libri III*, *Liber de spiritu et littera*, *De natura et gratia*, *De perfectione justitiæ hominis*, *De Gestis Pelagi*, *De gratia Christi et de peccato originali*, *Libri VI contra Julianum*, *De gratia et libero arbitrio*, *De corruptione et gratia*, *De prædestinatione Sanctorum*, *De dono perseverantiæ*, *Opus imperfectum contra Julianum*: quibus in operibus late dissertit de gratiæ actualis necessitate sive ad credendum, sive ad agendum, etiam ad initium fidei et boni operis, aut ad perseverandum, de ejus gratuitate speciatim quoad primam gratiam et finalem perseverantiam, de cooperatione voluntatis, de merito et gratuita prædestinatione. — Semipelagianismum autem impugnavit: S. PROSPER AQUITANUS, *Epistolæ duæ*, una ad Augustinum, altera ad Rufinum, *Responsiones pro Augustino ad*

unum clare intueri, addit: "Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas"; quæ quidem verba, inspecto contextu, clare important damnatos caelo, proindeque visione beatifica privari.

(a) *Scriptura probatur*: in die iudicii Christus damnatos sic alloquetur: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum"; atqui hæc verba clare exprimunt æternam separationem a Deo, et privationem bonorum quæ cum præsentia Dei connectuntur. — Confirmatur ex his et similibus verbis: "Nescio vos: discedite a me omnes operarii iniquitatis".

(b) *Rat. theol. suadetur*. Homo, in peccato mortali decedens, est jam in statu separationis a Deo, cum peccatum mortale sit aversio a Deo et conversio ad creaturas; atqui, post mortem, nullus est pænitentiae locus, ex dictis; ergo peccator in æternum manet a Deo separatus, et merito quidem, cum libere et pertinaciter ad Deum reverti noluerit.

1157. 3<sup>o</sup> *Acerbitas* hujus poenæ vix concipi potest in terra; attamen hæc duo notari possunt: (a) *In se* hæc poena est privatio Summi Boni ad quod omnes ordinati sunt, et sine quo nulla est felicitas; atqui privatio Summi Boni est summum malum; ergo. (b) *In damnatis maximam tristitiam* affert, quia vivide ab eis percipitur. Jam inter mundanas varietates et fascinationes nugacitatis anima humana inclinatur ad Deum et ad illum tendit sicut ad suum ultimum finem seu supremum bonum. Hæc autem inclinatio etiam in damnatis crescit quando, morte intercedente, omnia temporalia quibus cor irretiebatur evanescent, *clareque* percipiunt Deum esse supremum bonum et extra Deum nullam esse beatitudinem, ideoque vehementi inclinatione naturali in Eum feruntur; — sed simul cum hac vehementi inclinatione inest animæ damnati horror Dei et ab eo aversio ex peccato non remisio proveniens, et repulsio ab ipso Deo illata: "Discedite a me, maledicti... nescio vos" <sup>1</sup>. Unde dolorosissima et atrocissima in anima damnati *disruptio* et *discessio*, et quidem eo gravior quo nobiliores fuerunt ejus aspirationes et graviora peccata.

<sup>1</sup> *Matth.*, XXV, 12, 41.

Comparatione res illustratur: supponatur vir e patria sua ejectus, omnibus bonis privatus, ab omnibus parentibus et amicis violenter separatus non solum pro centum et amplius annis, sed pro tota æternitate, absque ulla spe unquam ullum amicum, ullum gaudium inveniendi! Eandem et multo acerbiorē poenam in æternum patietur impænitens peccator.

(c) Insuper damnati *desperatione* torquebuntur, optime intelligentes se in *æternum* esse damnatos, et quidem *propria culpa*; unicum instans ad veram pænitentiam suffiebat, eisque gratia multoties oblata fuit, sed eam pertinaciter despexerunt. Pariter felicitatem Beatorum videbunt, et invidia tabescent: "Peccator videbit et irascetur; dentibus suis fremet et tabesceat; desiderium peccatorum peribit" <sup>1</sup>. Et alibi: "Videntes turbabuntur timore horribili... dicentes intra se, pænitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes... Nos insensati vitam illorum (justorum) æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore... Ergo erravimus a via veritatis... Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, etc."

Hinc *S. Augustinus* 3: "Perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se... tam grandis est poena, ut nulla ei possint tormenta, quæ novimus, comparari" <sup>4</sup>. *S. Chrysostomus* addit: "Hic enim est cruciatus omnium acerbissimus".

### De poena sensus.

1158. 1<sup>o</sup> *Ejus existentia*. Præter poenam damni, adest in inferno *pœna sensus*, id est, positivus *dolor a Deo inflictus per agens extrinsecum tanquam instrumentum punitionis*. Non est igitur necessario in parte sensitiva, cum dæmones et animæ separatæ eam patiantur. Sed est verus ac positivus dolor.

Ejus *existentia* est de fide et probatur præsertim omnibus textibus in quibus agitur de igne inferni (n. 1140 sq.) et etiam aliis (n. 1159).

Post resurrectionem vero corpus hominis variis cruciati-

<sup>1</sup> *P.*, CXI, 10. — <sup>2</sup> *Sap.*, V, 1-16. — <sup>3</sup> *Enchirid.*, c. 112, *P. L.*, XL, 285.

<sup>4</sup> *Ad Theod.*, ep. I, n. 12. Hanc damni poenam egregie declarat J. H. Newman, *Callista*, c. XIX.

bus affligetur, præsertim igne, ut mox dicetur. (a) Dicitur enim in Evangelio 1: "Time te eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam"; et infernus dicitur *locus tormentorum* 2. (b) Aliunde corpus est veluti instrumentum animæ, et aliquo modo bonorum malorumve operum particeps: convenit igitur ut pariter sit aliquo sensu mercedis vel pœnæ particeps. (c) Præterea, ut ait S. Thomas, 3 "pœna debet proportionaliter culpæ respondere... In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum".

1159. 2° De natura autem pœnæ sensus Ecclesia nihil definit; si Scriptura perlegitur, infernus ibi exhibetur ut *carcer*, in quo reprobi tanquam captivi detinentur, ut *locus tenebrarum*, in quo adest stridor dentium, ut *stagnum ignis* et *sulphuris*, ut *locus tormentorum* 4; ex quo inferre licet reproborum sortem sane lugendam esse; sed quæstio est præcise quo sensu illa verba intelligi debeant, utrum *litteraliter*, an solum *metaphorice*.

De nonnullis damnatorum pœnis recte ait S. Thomas 5: "Nihil tamen prohibet quædam etiam quæ de damnatorum pœnis in Scripturis dicta corporaliter leguntur, *spiritualiter* accipi, et velut per similitudinem dicta: sicut dicitur 6: *vermis* eorum non morietur; potest enim per vermem intelligi *conscientiæ remorsus*... Non enim est possibile quod corporeus vermis spirituales corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt. *Fletus* etiam et *stridor dentium* in spiritualibus substantiis non nisi *metaphorice* intelligi possunt; quamvis in corporibus damnatorum post resurrectionem nihil prohibeat corporaliter ea intelligi, ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest, sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum et capitis, prout in fletibus esse solet".

1160. 3° Quæritur præsertim utrum *ignis* inferni sit *physicus* et realis an solum *metaphoricus* 7. Jamvero

1 *Math.*, X, 28. — 2 *Luc.*, XVI, 28. — 3 *C. Gent.*, lib. III, c. 146.

4 *II Petr.*, II, 4; *Math.*, XXII, 13; *Apoc.*, XX, 14.

5 *C. Gent.*, lib. IV, c. 90. — 6 *Isa.*, LXVI, 24.

7 A. Michel, *D. T. C.*, *Feu* (de l'enfer) 2196-2239.

doctrina *communis* et *certa* Patrum et Theologorum est hunc ignem esse *realem*, i. e., *objectivum*, a damnato distinctum, ideoque non mere *subjectivum* aut *metaphoricum*.

"*Certa* et *catholica* sententia est, ait Suarez 1, ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus, ut in illo crucientur, verum ac proprium ignem corporeum esse". *Perrone* eam doctrinam ut certam habet, ita ut in dubium absque temeritate vocari nequeat (n. 730). *Hurter* eam vocat *communem* sententiam, a qua temerarium esset recedere. Hinc, cum sacerdos Mantuensis postulaverit quomodo agendum sit cum pœnitentibus qui censent ignem inferni non esse realem sed metaphoricum, S. *Pœnitentiaria*, 30 Apr. 1890, respondit "hujusmodi pœnitentes diligenter esse instruendos, et pœnitentes non esse absolvendos"; quæ quidem decisio, etsi non doctrinalis, sed practica, communem Ecclesiæ doctrinam exhibet, a qua sine temeritate recedere non licet.

(A) *Script.* probatur. Nam a sensu *litterali* non est recedendum, nisi contextus vel ratio naturalis id postulent. Atqui in locis ubi agitur de igne inferni, contextus sensui *litterali* nedum obstat, illum potius requirit: ita, apud *Marcum* 2 ter repetit Christus damnatos puniri *igne inextinguibili*, et addit: "Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur"; ita sicut realis est sal quo victima saliebat, ita realis est ignis inferni; apud S. *Matthæum*, Christus, explicans parabolam zizaniz, assertit omnes qui faciunt iniquitatem mitti in *caminum ignis* 3. Præsertim vero vox "*ignis*" in sententia *judiciali* a Christo prolata invenitur, quæ sane omnem metaphoram prorsus excludit. Aliunde non repugnat Deum creare ignem, qui, supernaturali quadam accedente virtute, substantias spirituales torquere valeat.

1161. (B) *Tradit.* (a) Plerique enim Patres aperte aut æquivalenter docent ignem inferni esse *physicum*, verum, corporeum; quidam eum comparant ignibus Etnæi montis aut Vesuvii. Sufficiat referre verba S. *Augustini* 4: "Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, *corporeus* ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum";

1 *De Angel.*, l. VIII, c. 12, n. 9. — 2 *Marc.*, IX, 42-48.

3 *Math.*, XIII, 42.

4 *De Civit. Dei*, XXI, 10, P. L., XLI, 725.